



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 87. De Frederici Palatini proscriptione, ejusque executione deliberatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII. jussus. Denique Marchionem Jægern-  
 A. C. 1620. dorffium Lusatix Præfectum eo adegit,  
 ut in Silesiam profugere cogeret.

## §. LXXXVII.

*De Friderici Palatini proscriptione,  
 ejusque executione deliberatum.*

*Bellus laur.  
 Aust. l. 4.  
 Lotich. rer.  
 Germ. l. 6.  
 cap. 3.  
 Londorp.  
 acta public.  
 lib. 5.*

Postquam Fridericus Palatinus Ele-  
 ctor, insuperhabitis tot ad illum  
 Imperatoris, & Electorum emissis mo-  
 nitis, minisque Bohemix Regnum, an-  
 nexasque Provincias non modo usurpa-  
 verat, sed insuper etiam Henricum Fi-  
 lium suum, ut Bohemiam suis posteris  
 hæreditariam redderet, in Pragenfi  
 conventiculo tanquam Regni Succes-  
 sorem declarari jusserat, Imperator  
 Usurpatoris contumaciam proscrip-  
 tionis pœna frangere statuit, primamque  
 Julii diem velut dilatæ executionis ter-  
 minum præfixit: Ut autem præcipitis  
 feveritatis calumniam declinaret, prius  
 die prima Junii Moguntini Electoris  
 sententiam rogabat, utrum e re esset,  
 in proscriptionis negotio comitia Im-  
 perii Ordinibus indicere, cum Saxo-  
 niæ Elector absque Electorum consen-  
 su hanc pœnam decernere, minus con-  
 sultum censuisset: Eodem tempore  
 idem Imperator misso ad Saxonem, &  
 Bavarum, necnon ad Albertum Archi-  
 ducem

ducem Hohenzollerano Comite petebat, ut hi tres Principes Moguntino Electori mentem suam circa hoc dubium aperirent, an proscriptionis promulgationem urgeri, aut potius differri censerent. Enimvero Saxoniae Elector eam omnino suspendendam primo autumabat, eo quod illius promulgatio tamdiu effectum suum consequi haud posset, quamdiu ejus executio ob varias difficultates adhuc impedita foret: postea tamen mutata animi sententia, absque Ordinum comitiis, quæ sine longiori mora haud convocari possent, promulgandum esse censuit proscriptionis decretum, eo quod nunc tandem post susceptam Saxonis, Bavari, & Alberti expeditionem bellicam hujus decreti executio omnino expedita foret. Eo igitur consilio Saxonicus Elector, postquam copias suas in aciem eduxerat, Bohemis, Lusatiis, Silesiis, ceterisque unitis Principibus Protestantibus demandatam sibi a Cæsare proscriptionis executionem intimabat.

## §. LXXXVIII.

*Maximiliani Bavaricæ Ducis expeditio in Bohemiam.*

Austriacis in Cæsaris obsequium reductis, Maximilianus Bavaricæ Dux

*Theatr. Hist.*  
*cap. 3.*

*Hist. Eccles. Tom. LVI. Xx Lin-*